

COLLOQUIVM QVARTVM

*Persōnae: Syra, Dāvus, Iūlius*

Dāvus, servus Iūlii, laetus est, quia nummum habet in sacculō suō. Syra eum laetum videt.

Syra: "Quid est, Dāve?"

Dāvus: "Ecce sacculus meus, Syra."

Syra sacculum Dāvī videt, nummum in sacculō nōn videt.

Syra: "Vacuus est sacculus."

Dāvus: "Nōn est. In sacculō meō est pecūnia."

Syra: "Quot nummī sunt in sacculō tuō?"

Dāvus: "Ūnus nummus. Ecce nummus meus."

Syra: "Ūnus tantum nummus? Nōn magna est pecūnia tua! In sacculō Mēdi nōn ūnus tantum, sed multi nummī sunt."

Dāvus: "Sed meus est nummus quī in sacculō meō est."

Syra: "Quid? Nōne Mēdi est pecūnia quae est in sacculō eius?"

Dāvus, quī probus est servus, tacet neque Mēdum accūsāt. Servus probus servum nōn accūsāt.

Syra: "Respondē, Dāve!"

Dāvus: "Mēdum interrogā!"

Syra: "Sed is nōn adest. Ubi est Mēdus?"

(Iūlius Mēdum vocat: "Mēde! Venī!")

Dāvus: "Mēdus abest. Audī! Dominus eum vocat."


(Iūlius rursus Mēdum vocat: "Mē-de! Venī, improbe serve!")

Iam Syra dominum audit.

Syra: "Cūr dominus irātus est?"

Dāvus nōn respondet.

Syra: "Respondē, Dāve! Cūr irātus est dominus?"



Iūlius venit. Syra dominum irātum — et baculum eius — videt.

Iūlius: "Ubi est Mēdus, Dāve?"

Dāvus: "Nōn est hic."

Iūlius: "Ō, servum improbum...!"

Syra: "Quid est, domine? Nōne servus probus est Mēdus?"

Iūlius: "Num probus est servus quī pecūniam domini in sacculō suō habet?"

Syra tacet.

Dominus irātus discēdit.